

Deinde de occultis peccatis mortalibus conti-  
tendum saltem in genere, & de illis petendum esse  
consilium de quibus conscientia dubitat, nec ullum  
admittendum ad communionem, nisi confessum, &  
exploratum, & qui promittit emendationem uitæ,  
& obedientiam erga Ecclesiam, Quid uis Ruardi  
amplius?

Sed de hoc non tantum contenditur, uerum id  
male habet Ruardum, quod aliqui dicant fidem esse  
partem pœnitentiæ. Colligit αὐτίλογιας, & ut  
odiosos faciat aduersarios affirmat eos inter se di-  
scordes esse, & ut ipsi se conficiant, inter se com-  
mittit, ait Caluimum probare fidem non esse partem  
pœnitentiæ, ex dicto Pauli Actorum 20. testi-  
ficans Iudeis simul & Græcis, eam quæ est erga De-  
um pœnitentiam, & fidem quæ est in Dominum no-  
strum Iesum Christum, Deinde docere, mortifica-  
tionem, ut est altera pars pœnitentiæ, significare  
castigationem carnis, & non tantum contritionem.  
Præterea carnis castigationem, uel mortificationem  
non posse dici partem pœnitentiæ, quod Paulus  
hanc sanctis præcipiat quibus nihil opus est Sa-  
cramento pœnitentiæ.

Postremo negat Absolutionem posse dici Sa-  
cramentum pœnitentiæ, quod sit testimonium pro-  
missionis Euangeli de gratuita remiss. peccat. in-  
stitutum per Christum, ut per id minister Ecclesiæ  
applicet beneficium ipsius ad pœnitentem, vel quod  
is, qui sua peccata agnoscit, & confitetur audita  
Absol